



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Bernardini Scardaeonii Patauini Presbyteri de Castitate Libri Septem

Scardeone, Bernardino

Venetiis, 1542

Quod nemo aliena professione obstringatur ad obseruationem castitatis,
sed sua ipsius uoluntate cap. xx

urn:nbn:de:hbz:466:1-30433

DE CONIV. ET CONTI. SACER.

Quod nemo aliena professione obstringatur ad
obseruantiam castitatis sed sua ipsius
uoluntate. Cap. XX.

C Vpio equidem uehementer me ab eiusmodi
tandem contentionibus expedire, ut opportune
ualeam manum ad potiora trāsferre: uerum quā
nonnulli uana etiam nunc argumenta circūferunt, quā
& si parum momenti habere uideantur, tamē & his ne-
cesse duximus respondere: ut uel Momo (quod aiunt)
satisfacere possimus. Dicunt hi quidem, sacerdotes La-
tini nominis, qui primi assensu sunt seruandæ castitatis
edicto, non potuisse ius aliquod in ea re posteris dicere,
& præiudicare priori consuetudini, nec obligare quem-
plam, ut nouæ legi obnoxius fieret ex aliena promissio-
ne. Ineptum profecto argumentum, ac minime dignū,
ut credatur hominis sanæ mentis inuentum, uerum sibi
hoc commentum placet. Ad primum autem quod isti de
illo nouo consensu fingunt, iam satis (ut arbitror) copio-
se respondimus, ubi constare potest omnibus, à principi-
pio statim euangelii, & ab ipso domino, & subinde ab
Apostolis effluxisse usum, moremque continendi, quod usque
in præsentia apud Latinos in ecclesia perseverat: ex quo
sanè apertissime falsum esse dignoscitur, ullam nobis
obligationem continendi, præter consuetudinem fuisse
recenter iniunctam. Sed etiam quod esset id uerum: quid ti-
bi necesse fuit homo fanaticæ initiari sacris, & subiicere
te huic necessitati continendi? quæ modo (quicquid sit)
non tibi tam iniuncta dici potest, quàm a te tua sponte susce-
pta? Non ne diu in manu, & arbitrio cuiusque nostrum
fuit, uel ducere uxorem, uel renunciare nuptiis, & pro-
mittere cœlibatum? Præuidebas te absque contubernio
mulieris esse non posse? uxorem tibi licuit ducere: id
tibi tunc nemo uetabat. Non enim interdictum est lege
aliqua, quo minus uxorem possit ducere, qui uelit, at

noluit, imputetur ergo tibi, non legi, aut decreto cuiusquam quasi id te uxore priuauerit. Non tu quidem natus es de genere sacerdotali (etiam quod sacerdotis filius forte sis) ut olim Hebræorum leuitæ, qui ex origine in ortu ipso destinabantur sacerdotio. Nec etiam necesse fuit ut in hoc sacro ordine idem iuris sit tibi quod est ciui in sua. R. publica: qui municipalia iura, & præscripta, & consuetudinem moresque ciuitatis, etiam inuitus seruare compellitur. Vbi siquid planè fuerit, quod sit merito improbandum, maioribus quidem imputari potest, sed ab eis resiliari non potest, donec communi consensu ciuitatis, uel superinducatur noua lex, uel abrogetur antiqua. Verum in sacerdotibus multo secius euenit: quoniam non natiui (ut nuper dicebam) ex quodam certo genere sunt, sicut Hebræorum Leuitæ: sed ex cunctis ordinibus eliguntur: nec iniciantur, nisi exposcant, aut requisiti annuant electioni. Exposcere autem, uel assentiri nemo debet, nisi ei cælibatus sit cordi: & animo proposuerit suo castitatem, & religiose uiuere, ut scit conuenire sacerdoti, & sacerdotis ministeriis addicto. Quoniam quæso pacto quis merito queri potest, quod aliena sit promissione obligatus seruare castitatis edictum: quum diu sibi liberum fuerit de re tanta, & tam graui discernere, quid sit agendum, & nomen ipsemet dederit, ac ultro ætate iam firmata per susceptionem ordinum sese uoto castitatis obstrinxerit, præcicens sibi deinceps priorem licentiam, libertatemque uiuendi: Quo fit ut causari nullatenus possit, quod uel coactus, uel inscius in eo quicquam fecerit. Quare desinendum ab his querelis ac promissis standum, si quis pudor est, etiam si poeniteat facti, quum nihil post hæc nobis integrum sit, nisi seruare fidem, constantiamque promissorum.

Examinare sese oportere, quicumque accedit ad sacerdotium, an sit idoneus. Cap. XXI.